



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXX.

§. III. An accipere pecuniam pro doctrina Theologiæ sit Simoniacum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61687](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61687)

facultatibus, hoc privilegio gaudeant ad quinquennium, cum hoc sufficere videatur his, ut docti possint evadere, docentibus verò nullam tempus limitatum est, cum semper promoveant utilitatem Ecclesie universalis. Videatur etiam *Clementi. Inter 1. h. t.*

§. III.

*An accipere pecuniam pro doctrina
Theologia sit Simoniacum?*

Respondetur negativè, sive deinde temporale accipias pro officio docendi Theologiam speculativam, sive moralem, sive controversam; sive pro interpretatione Sacre Scripturæ, &c. cum tale munus, & officium docendi, non sit quid spirituale, aut supernaturale, naturalibus discursibus intellectum illumi-

minans ad intelligenda ea, quæ ex naturali luce, vel etiam ex suppositis fidelis principijs, naturaliter deduci possunt; & quamvis in *c. 1. 2. & 3. h. t.* prohibetur, ne pro danda docendi licentia accipiat aliquis, hoc tamen non prohibetur, ut Simoniacum (nisi ratione spiritualis sue jurisdictionis hæc talia concederet aliquis pro pecunia, cum gravis ea concedere deberet, ne spirituali sui jurisdictione ad temporalia sibi comparanda videretur abuti) sed ut ex alio capite bono communi minus convenientia & illicitum; quod ipsum etiam dici potest, de concedenda pro pecunia licentia, ad alias facultates docendas, prout ex relatis etiam capitulis colligi potest.

T I T V L V S VI.

DE JUDÆIS, ET SARACENIS, ET
EORUM SERVIS.

§. I.

*Quæ, & in quibus casibus inter-
dicta sit Christianis communicatio
cum Judæis?*

Agitur in hoc titulo, non tam de Judæis, & paganis infidelibus, ad quos jurisdictio Canonica se non extendit, cum non sint in Ecclesia, quàm de prohibita communicatione fidelium cum infidelibus talibus, & pœnis certis, quibus afficiuntur fideles, si contra prohi-

bitionem cum illis communicent. Sic in *c. Ad hæc 8. h. t.* prohibetur omnibus Christianis assidua conversatio & familiaritas cum Judæis, ne ad suam perfidiam simplicium animos inclinent; ita ut nec servi Judæi, qui commorentur cum Christianis familiariter, & domestici admittantur, ob gentis illius pertinaciam; nec liceat uti medicis Judæis, aut medicinis à Judæis præparatis, nisi necessitas in defectu fidelium peritorum aliud permittat; nec liceat cum Judæis lavare, sive